

D. B. V.
ORATIO
 Impugnans
RELIGIONIS
LIBERTATEM
PROMISCUAM,

IN
 BENEFICENTIÆ
Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi


VIRI
DN. THOMÆ WERLIENI,
 J. U. D. Serenissimi Ligiorum Principis, &
 Illustriss. Comit. Rheni, Dn. in Sulzbach/
 Consilarii olim Gravissimi,

Erga VIADRINAS MUSAS
 MONUMENTUM,

In GRATÆ verò MENTIS DOCUMENTUM
Die XXIII. Februarii, Anni M DC LXXXIX.

In Collegiō Majori
 Publicè habita
 à

JOHANNÉ GEORGIŌ COLERŌ,
 Landsbergâ Marchicô.



Francofurti ad Viadrum Literis Johannis Cœpselii, A. T.

*Per-Illustri, Generosissimo atq; Excel-
lentissimo Domino,*

**DN. JOHANNI FRI-
DERICO DE RHETZ,**

*Serenissimi atq; Potentissimi Electoris
Brandenburgici Ministro Statûs Intimo,
Rerumq; Feudalium Consiliario
gravissimo,*

*Hereditario Domino in Grossen Behniz/
&c. &c.*

Domino atque Mæcenati suo

Benignissimo, æstumatissimo,



*Per Illustris, Generosissime atq; Ex-
cellentissime Domine,*

*MÆCENAS Benignissime ad cineres
devenerande.*

Quamquam verecundia ceu omnium virtutum custodis, ut
illa à Romana Eloquentia Parente Cicerone audit, limi-
testransilire haut obscure videor, Evergeta inchoyte, quòd
Te in arduis magniq; consilii negotiis non interpellare tantum, sed
etiam celeberrimum Nomen Tuum plagellis hisce parùm doctis nunc
inscribere non erubui, tamen hanc concepi spem fore, ut audax di-
cam an impudens conamen hoc sine molestia feras; imprimis cum
probe gnarus insignis ac stupenda ferme Humanitatis atq; Beni-
gnitatis Tua in me non semel profuse effusa: Quia Virtutes adeò
Tua Tibiq; propria, ut solus non solùm, inter hodiernos Principum
Status Rectores hoc nomine quàm longissimè emineas, sed & ipsi
DEO in tantum sis factus similis, quantum humana Natura con-
ditio pati videtur. Cetera etiam Virtutes Tua Heroica Mortalium
fragilitatis fastigium ferme supergressa sunt, adeò ut haut aliter ve-
nerandus ac suspiciendus es, quàm salutare quoddam faustumq;
Sidus è cælo in terras demissum, ut tantum Principem Consiliis
beare, rebus subjectorum afflictis mederi, quin studentium cum no-
vercantis fortune calamitatibus consuetantium fata salubriter mo-
derari posses. Quare meritò omni submissa venerationis cultu
prosequendus praprimis à me utpote quem Benignitas Tua hucusq;
largiter satis fovit. Equidem votis omnibus jam pridem expeti-
vi hanc felicitatem, ut Tibi, PATRONE Maxime, animum benè
memorem gratumq; quòvis etiam venerationis genere testatum
facerem, verum cum non fuerit in me hactenus tantum facultatis,
ut publicum quoddam debita observantia in Te mea argumen-
tum

tum producerem, debitoris prompti atq; ingenii, quàm ingrati fo-
 cii, quò vel ex Ethnicorum saniorum etiam sententiâ: Terra ni-
 bil pejus creat, Beneficiorumq; immemoris nomen sustinere. Ast
 dum nexû STIPENDII VVERLIENIANI, cuius usumfructumq;
 Tibi inprimis acceptum fero, obligatus in dicti Testatoris VVER-
 LIENI p. m. honoris nec non gratitudinis tesseram, Orationem na-
 per conscribere eamq; publicè habere debui & volui, hoc commo-
 dam esse occasionem unâ duxi, quâ usus quodammodo indicarem
 & publice testarer quanta Tua, quæ in me extant, sint merita.
 Et cum hujus scriptionis inculta materies presentis temporis Fato
 non inconueniens, ut arbitror Tibi aliquâ ratione arridere posset,
 conatum hunc eò confidentius nunc suscipio, quâ possum animi sub-
 missione rogans ac orans, ut hoc quod in pietatis, devotionis, gra-
 tiq; animi signum Tibi consecratum non tantum serendò benignòq;
 vultû accipias, verum etiam benevolum Voluntatis Tuae affectum
 pristinum in me studiâq; mea retineas, quò quæ Tuis auspiciis na-
 ta sunt, Te porro promovente, quem sibi proposuere portum, feli-
 citer aliquandò subeant. Quod singulare ac recens Benevolentia mo-
 numentum cum memoriâ sempiternâ recolam, tum quicquid erit
 in me ingenii, studii, ac virium eò intendam, ut Tibi quævis gra-
 titudinis officia reddere valeam. In primis autem DEUM Opti-
 mum Maximum precibus ardentissimis comprecor & comprecabor,
 ut pios conatus Tuos publica saluti Musarum incrementis operantes
 porro fortunet, eòq; Felicitatis culmine, quod Mortalibus summum
 est, coronet, Teq; in seros usq; annos saluum ac incolumem conser-
 vet, omniq; bonorum genere cœlitus cumulet. Quod animitus
 vovet

Per-Illustris, Generosissime, nec non
 Excellentissime DOMINE

Ad quævis servitiorum genera
 Tibi devotus

Joh. Georgius Colerus.



TIT.



Monumenta Ecclesiæ,
 & sacros Historiarum

annales inspexerimus, constabit,
 hanc à primis statim Ecclesiæ nascentis
 incunabulis, apud quosdam viguisse
 sententiam, quemlibet suâ Fide ac Religione salvari posse. Pla-
 cuit verò, hæc inprimis iis, quibus per tristissimum lapsum &
 mentis acies tunc magis præstricta erat, & rationis scintillæ par-
 ciores restabant, ut non modò in divinis, sed in propriis etiam
 rebus cæcutirent, inprimis cum corruptam & fermè prorsus
 perditam justitiam primævam recuperandi non tam prompta
 parataque tunc darentur media ut quidem hòc nostrò seculò ac
 ætate longè feliciori; Ut meritò miremur in tantâ hodiè ve-
 ritatis tamqve manifestâ luce, illâ caligine mentis laborantes ad-
 huc

huc inveniri. Qui etsi non sine speciosis, ut quidem primâ fronte videntur, dimicent ratiociniis; nos tamen quos altior veriorque agit spiritus, & qui per divinam gratiam melius docti ac ducti sumus, non possumus non, quin in diversam abeamus sententiam. In illis enim qui à CHRISTO & Verbo divinò discedunt nulla est notitia eorum quæ ad salutem scitu maximè sunt necessaria, nihil norunt quæ Evangelii, absque quò verò salutaris veritatis agnitio nulla, vera pietas nulla, Spes vitæ æternæ nulla; qui enim non credit in CHRISTUM damnatus est, atque ut CHRISTUS de se Ipsò testatur: Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me: nec est in aliò quòquam salus, nec aliud nomen sub cœlò, quod datum sit inter homines, per quod nos salvari oporteat. Ut erroneum planè impiumque sit dogma Themistii IMPERATORI VALENTI perſuadere conantis: DEO quamvis Religionem & Sectarum varietatem gratam esse, quam & Hæresiarcha illè Rhetor pertinaci admodum consiliò asseruit. Undè nata tandem illa opinio: omnem Religionis libertatem promiscuè tolerandam esse, nec prohibendum quenquam, quò minùs quicquid velit de DEO & sentiat ipse, & alios doceat. Quod argumentum ut brevi Oratione pertractarem beato WERLIENO, Evergetæ meo venerabili debita pietas facit. Dicam ergò quantum pro ingenii mei modulò, quod exiguum est, licet fretus Vestra, A. H. Benevolentia, quam ut commodare mihi velitis humillimis precibus expeto. Eximium JOSUÆ monitum est, Auditores, contra JEHOVAM ne rebelletis, & contra Nos ne sitis rebelles extruentes vobis altare præter altare JEHOVÆ DEI nostri; quod item & DEUS Ipse vicariâ Moſis voce jubet: recedite nunc à tentoriis istorum improborum hominum, & ne attingite quidem quicquam quod illorum sit. Quibus illa Novi Fœderis verba consonant: Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces: Cavete vobis à fermentò Phariseorum & Sadduceorum in fide inconstantium ac variastium: precor autem Vos fratres ut observetis dissidiorum, & offendiculorum Auctores contra Doctrinam, quam vos didicistis, & declinetis ab eis. Porro: precor autem vos Fratres, per nomen DOMINI nostri JESU CHRISTI, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed vivatis eadem mente, eadem sententiâ. Ex quibus patet, DEUM T. O. M. puram ac simplicem tantummodò velle atque cupere sui reverentiam. Quare etiam Judæis Ipse præscripsit regulas & cultus sui modum, iisdemque seriò & sub magnò pœ-

næ reatu mandans, ne quicquam horum immutaretur. Et Paulus Evangelium, quod prædicabat, unicum dicit verissimumque esse, ita ut, etiam si Angelus è cœlò descendens aliud prædicaret, ille anathema sit oportet. Quemadmodum verò una tantum Ecclesia, quæ fundamentum & columna veritatis, unaque Fides veritatem apprehendendi est; ita & una sit Religio necessum est, quæ doctrinam illius veritatis fundamentum habeat. Hæc ratio est, cur impura hæc cultus promiscui ratio institutis & exemplis Reipubl. benè constitutæ, prudentumque IMPERATORUM omnium adverſetur, quin & piis hominibus vulgò abominabilis visa sit, id quod exemplò Johannis Evangelistæ constat; Hic namque Cerinthium in balneò reperiens in hæc erumpit verba: Fugiamus hinc, ne balneum in quò est Cerinthius, veritatis adverſarius, extemplò corruat teste divò Irenæo, qui addit, quod ipse etiam Polycarpus Marcioni sibimet aliquando occurrenti & dicenti. Nostine me? responderit: Novi te primogenitum Satanæ. Tantis, inquit idem Irenæus, Apostolos horumque discipulos subiit tunc timor, ut neque colloquerentur alicui eorum qui adulteraverant, ut dicit ille, veritatem. Quin etiam Origenes nunquam induci potuit, ut precibus una cum Paulò hæreticò interesset, quippe qui ab ineunte ætate, & Ecclesiæ Canones obnixè observasset, & errorum Doctrinas fuisset semper detestatus. Canonem item Ecclesiæ talem ab Heraclâ Episcopò accepisse se scribit Dionysius Alexandrinus, quò eos, cum essent accusati, qui consuetudine cujuscumque eorum, qui alienam & diversam à fide Doctrinam tuebantur, multum usui fuissent, Ecclesiâ ejecerit. Juxta quem Canonem Macellus Ancyra Episcopus adhuc Catholicus neque Tyrion, neque Hierosolymitano Conciliis, neque consecrationi M. templi Hierosolymis per CONSTANTINUM ædificati interesse voluit; non aliâ verò de causâ, quam ut Arianorum Episcoporum vitaret communionem. Sic etiam apud Socratem LIBERIUS PAPA Epistolâ ad orientis Episcopos à communione excludit Ecclesiæ, si qui anathema Ario non dicant. Neque verò aliam ob causam reprehensus FELIX Pontifex R. in LIBERII locum substitutus, (utpotè qui quantum ad religionem omni reprehensione caruerit) quam quòd Arianorum communionem uteretur. Eodem pertinet, quòd narrat D. Anastasius de populò Alexandrinò, quòd præoptarent ægrotare, & periclitari sine visitatione, quam ut Arianorum manus suis capitibus imponi sustinerent; non communicamus, inquirunt, cum hæreticis, verberate, ut lubet, DEUS ob ista vos judicabit.

bit. Præterea PLACILLA etiam Imperatrix, cum Imperator THEODOSIUS Senior desiderio teneretur conveniendi Eunomium, eum studiosè rogandò cohibuit, ne, quod consentaneum videbatur moribus, colloquio circumventus illius sententiam deflecteret. Nempè metuebant hi tales haud vanè ne per promiscuam Religionis licentiam & dissensionem animi distraherentur, fraternitatis, quæ pios inter esse debet, vinculum & nexus dissolverentur, disjungerentur. Quod e Statu Reipubl. Judaicæ V. T. liquido satis patet, hæc enim quamdiu Religio à DEO præscripta sincerè colebatur, florentissimus sanè viguit, floruitque; gentiliū autem Religione postea introducta in multorum malorum varietatem inclinavit, DEUSq; Reipub. hujus possessores expulit, tradiditque in prædam hostibus. Quam lernam malorum prudentes Rerump. Moderatores omni conatu evitarunt probè gnari cœlestis illius depositi ac pignoris Religionis scil. vinculum maximi esse momenti in devinciendis animis, undè & vulgò iisdem sacris uti proverbio dicuntur illi, qui unanimiter conspirant; nam hòc unanimis conspirationis vinculo disruptò gentium etiam animi dissolvuntur. Ideoque quemadmodum Civitas quædam secum discordans consistere nequit, sic nec Status in variam Religionis Professionem divisus salvus manet; indè enim diversæ inclinationes, simulationes, dissidia, & discordiæ. Et sicut in corporibus naturalibus qualitatū diversitas corruptionem quandam causatur, ita & in Politicis corporibus mutuo contrariantes Religionum species; nam si una tantum detur Fides, cœteræ falsæ sint necesse est; quid autem sibi invicem magis adversatur, quàm veritas ac falsitas. Rebecca uterus in quo dissidentes mutuoque sese petentes gemini erant, multis magnisque doloribus afficiebat matrem, idem dolor in dissensu Religionum est. Quare ELISABETHA ANGLIÆ REGINA, Imperatori FERDINANDO I. pro Pontificiis ut ipsis templis in urbibus seorsim concederentur intercedenti respondit, prudenter satis: permittere templa cum ritibus diversis nihil aliud esse, quàm Religionem ex Religione serere, mentes bonas variè distrahere, factionum studia alere, Religionem, quin Rempublicam ipsam conturbare, & divina humanaque commiscere, quod esset re verà malum, exemplo pessimum, suis perniciosum, & illis ipsis, quibus permissum nec admodum commodum, nec planè tutum. MARIANA de REGE & REGIS institutione, paci, inquit, nihil magis adversari, quàm si in eadem Republ. Urbe aut Provinciâ unâ plures Religiones obtineant.

L. III.
c. 17.

neant. PHILIPPUS verò II. Hispan. Rex censuit fatius esse regnò carere, & montibus arboribusque dominari, quàm populo alienis sacris addicto. Memorabilia sunt sequentia Mœcenatis verba apud Dionem Cassium: Peregrinarum Religionum Auctores, odio prosequere, non Deorum modò gratiâ. Quos qui contemnit, haut dubiè nihil aliud quoque magnificet; sed propterea etiam quòd, qui nova Numina introducunt, multos ad peregrinis Legibus utendum pelliciunt, undè conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, res minimè unius Principis commodæ. Acutè Lansius: Religio, inquit, quia generis fœm. semper peperit Religionem, tranquillitatis mater dedit filias seditionum, & dissensionum nutrices. Animadvertens idem JULIANUS Imperator, Religionū libertatem permisit, ut dissensionū augente licentiâ non timeret unanimantem postea plebem. Idem à quòdam Ægyptiorum Rege eodem consilio introductum fuisse, refert Diodorus Siculus, quorum occasione Pignorius scribere non veretur: Quæ fraus, utinam ad quosdam è nostris magno Christianæ Reip. malo non pervenisset! Sed caveat, malum enim consilium consultori pessimum. HIEROBOAM quoque Rex Israelitarum timens, ne populus reverteretur ad domum Davidis excogitavit vitulos aureos in DAN & BETHEL, quos fecit à populo adorari. Et hæc Religionis immutatione obtinuit quod voluit, effecit enim ut decem tribus in perpetuum à Judæis & Benjamitis fuerint separati. Ita Ægyptiorum Reges ad subditorum ingenia temeraria, & ad res novandas prona in plures nomos divisâ regione, superstitionis diversitate distrahere potuerunt, ut, quomodo animantes, quas alii alias colunt infestæ inter se sunt, ita eorum quoque cultores in factiones distracti minùs contra Regem conspirarent. Quare & ROTHARIS Rex Longobardorum Romani Pontificis & Exarchi consensum ad suæ gentis opes evertendas arbitratus pertinere, edictò publicò iussit in singulis Ecclesiis duos esse Antistites, quorum alter Arrianam, alter Pontificiam traderet Doctrinam, ut hòc discordiæ pomò distracti Christiani ad Longobardorum vires opprimendas haut sufficerent. Et firmatâ tandem omnium Religionum Libertate hæc, inductaque perversâ conscientiarum licentiâ omnium gravissimorum errorum libertas simulac inducitur, atque his Atheismus, sacrorumque ordinum anarchia & confusio succedat oportet. Ast, ne videar sententiam eorum probare, qui unam tantum Religionem & quidem igni, face, ac armis inducere satagunt, cum imperium tale in Animas & Conscientias immensam, infinitamque inferat potentiam quæ in nullum creaturæ

B

genus

In Consul
Europ.
contus
Germ. p.
m. 904.

Amma-
nus Mar-
cell. L.
XXII. p.
209.

L. I. parte
I. c. 89.

Ping. in
Explicat.
Mensa I.
saca p. m.
41.

Plut. de
Iside, &
Diodor.
L. I. c. 7.

genus cadit, saniorum Politicorum auctoritate & consensu fuf-
fultus, perſuafus ſum diverſum Religionis cultum atque profef-
ſionem in Repub. quidem tolerandum eſſe, niſi modo manifeſtas
in DEUM blaſphemias profiteatur, de quibus tamen ex S. Scri-
pturâ, non ex adverſæ partis arbitriô, calumniis, & invidiâ pro-
nunciandum. Tolerandus ille eſt, ſi ad publicam & politicam
pacem violandam comparata dogmata non habeat. Si profef-
ſionis libertatem à Magiſtratu aliquando obtinuerit, vel ejus con-
feſſores eam ſibi reſervârint. Si denique ad Reipubl. conserva-
tionem ſtudia ſua dirigant, & in iis, quæ Legi div. comuniq;
non adverſantur, Magiſtratu ſe non opponant; hoc eſt ſi DEO
dent, quæ DEI ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, nec quietem
publ. turbent. Benè enim diſtingvit Lipſius inter Turbones & Er-
rones: illos deſcribit, qui malè de DEO receptisq; ſacris ſen-
tiunt, & alios ad idem ſentiendum per turbas & conciones impel-
lunt: adverſus quos etſi inclamet illud Ure, Seca: tamen id
non propriè ac ſi ſvaderet vel juberet interfectionem turbonû,
ſed figurâ quâdam, & quidem à Medicinâ mutuatâ loquendi for-
mulâ vult intelligi, nempe indicandô, Medicinam adhibendam
eſſe maturè, ne totum pereat corpus. Certè ut turbonibus ne-
mo prudentiorum benè cupit, ita prudentiâ in coërcendis iis
præſertim viribus jam munitis maximâ opus eſt, ne intempe-
ſtiva coërcitio evertat Rempubl. quàm ſalvâ eſſe zelus cupit.
Monet quidem Auguſtinus, melius eſſe ut unus pereat, quàm
ut pereat unitas: Sed item melius eſt, ut ſervetur malus unus,
quàm ut propter illum pereat unitas; ſicut enim in morbis cor-
poris nihil magis periculofum eſt, quàm immatura Medicina,
ut Seneca ait, ita quoque in morbis animi eadem nihil perni-
cioſius: Naturâ enim contumax eſt humanus animus, ut in-
contrarium atque arduum nitens. Et intempeſtivis remediis
delicta magis accenduntur, quàm eruuntur. Hinc GRATIA-
NUS & JOVIANUS Imperatores ſuis varias in Imperiô R. Re-
ligiones profitentibus Tempia & Oratoria conceſſerunt ad inte-
ſtinos motus præcavendos. Quod & FERDINANDUS I. Im-
perator Laudatiſſimus obſervavit: Cernens enim Religionem
Proteſtantium abſque maximis turbis eradicari non poſſe ex
Germaniâ, eam pace publicâ ſancitâ non ſolùm toleravit, ſed &
ad tempus firmavit. At plures unâ Religionem à Magiſtratu
ſummô ſalvâ conſcientiâ tolerari nec poſſint nec debeant commu-
nis ferè Pontificiorum eſt opinio, interque eos præcipua
Bellarmini. Huic Regulæ inſiſtens PHILIPPUS II. Hiſpania-
rum Rex intempeſtiva fanè contra novæ Religionis in Belgio
affer-

Polit. 3.

Conſol. ad
Helviam.
cap. 1.

Tacit. 12.
Annal.
c. 54.

Socrat.
Hiſt. Eccl.
L. III. c. 15.
& L. V. c. 2.

L. III. de
Liciis 13

aſſertores adhibuit remedia Inquiſitionis ſcil. & Epiſcoporû novô-
rum introductionem, tantumq; iis effecit, ut nobiliſſimâ ejus parte
nunc careat. Quod & obſervavit Strada de Bellô Belgicô ita ſcri-
bens: Religionem rarò ſolam mutavere Civitates, ſed quoties mo-
ta eſt ſacta hæc ancora, toties fluctuavit ſimul Reip. navis. Idem
tamen antea in Regnô Hiſpanicô exercuerant Reges Hiſpaniæ eji-
ciendô duabus vicibus ſeptemdecim millena millia Maurorû ma-
gnô certè damno, cum hi ad Turcam confugientes non ſolùm
Hiſpano, ſed toti Chriſtianitati ingens detrimentum attulerint.
Toleranda igitur cultûs hujus diverſitas, ſed non ſine accuratâ in-
ſpectione horum diverſimodè ſentientium, ne illam retributio-
nem pendant, quàm mus in perâ, ſerpens in gremiô, & ignis
in ſinû ſuis conſveverunt hoſpitibus exhibere. Religio ſiqui-
dem omni nequitia prætexitur, vel ut potiſſimum ſit, Clerus
qui exitiſ libus ſuis concionibus plebem & Magiſtratum inflam-
mat ad perſecutionem & extirpationem diſſentientium, eos hæ-
reticos, doctrinamq; illorum diabolicam proclamandô, & ple-
bem ſimplicem ac ad tumultus pronam irritandô. Ita horum in-
flammationibus ac rabiei ſuos ſângvinariæ Nuptiæ Pariſinæ na-
tales debent. Cui etiam perſecutio illa Proteſtantium quæ duo-
rum menſium intercapedine ducentorum millium horum va-
riis abſtulit cruciatibus, adſcribitur ab Anglicanis Auctoris ſi-
de digniſſimis, ita ut cauſa propria non Religio per ſe, ſed ma-
ximoperè Clerus exiſtat, qui ex ambitione & ſaftu diſſentien-
tium dogmata rabioſâ voce perſtringit, & Laicos eô modô mu-
tuô laceſſitos indefinente tandem adhortatione ad arma, tumultus,
bella inteſtina, ſævitiâ & arenam, ut ita loquar, protrudit
tantô inter diſcordantes odiô ut nullô furore mitigari, nullisq;ve
remediis ad concordiam redigi queant animi ita jamjam exacer-
bati, inflammati. Quare Ægyptiorum Mos hîc quàm maximè
commendandus, apud quos licet quatuor Sectæ ritibus & ſenten-
tiis longiſſimè differentes ac ex Mahumedis dogmate ortum tra-
hentes reperiantur, Antiſtites & Sacerdotes tamen earum in-
ter ſe ſine odiis & concorditer vivunt. Et quævis illi, qui in-
geniô aut doctrinâ penes hos præſtant quandoque de Religio-
ne ſermones ſerant, & ſuam quisq; ſectam aſſerat intra eos ta-
men verecundiæ terminos ſe continent, ut nemini quatuor illos
Doctores à quibus Sectæ iſtæ originem duxere, carpere, aut con-
vitiis lancinare fas ſit. Quæ prudentiſſima pariter ac utiliſſima
conſuetudo utinam ſemper à nobis obſervata fuiſſet & in præ-
ſens obſervaretur. Certè Reip. N. navis non tam diris ac duris
tempeſtatum procellis olim quaſſata fuiſſet, & in præſenti quaſ-
faretur,

De ad. 1.
L. II. p. m.

Conr. de
Offic. Ma-
giſtr. cir-
ca Sacra-
m. 88. &
89.

faretur, non tantâ bellorum calamitate attereretur. Quæ ma-
 la autem omnia Tu JESU CHRISTE ab æternô genite, DE-
 US Exercituum & fortis cum PATRE, DEUS Victor ac Bella-
 tor Noster DEUS, pacis nostræ Auctor, cordium Inspector, ve-
 ritatisqve vindex, fræna & coërce, simultates illas, disceptatio-
 nes, studia ac factiones, & cum iis metum ac pallorem in Ec-
 clesiæ in Reip. in pacis ac Tranquillitatis N. hostes converte, ut
 visô Tibi tempore malè à nobis partam victoriam cum sangvi-
 ne & spiritu revomant: Neque patere, ut illæsi adversariorum
 talium armis, propriis seditionibus exauriamur; sed respice,
 nos miseros, quos sic humiliasti in locô afflictionis: exurge DO-
 MINE, adjuva nos, & redime nos propter Nomen Tuum. Grex
 dispersus factus est Israel tuus, Leones ejecerunt eum. Imple
 promissâ tuâ, ô veracissime PATER, ut quærat iniquitas Isra-
 el & non sit: peccatum Judæ, & non inveniatur, quia propi-
 titius eris illis, quos reliqueris. Revertere Jehova, quousque!
 & poeniteat Te propter servos tuos. Satia nos mane bonitate Tuâ
 & ovabimur ac lætabimur cunctis diebus nostris, ut effulgeat
 in servis Tuis opus Tuum, gloriaque Tua in filiis eorum. Ast
 ne quod agendum insuper, omittam, Tibi, nunc WERLIENE
 Beatissime, pro Tuâ in posteros traditâ, atque in me etiam ef-
 fusâ munificentia grates solvo immortales; & cum summi istius
 Boni, quô omnes fideles Tecum nunc gaudent ac delectantur,
 jamjam particeps redditus, ecquid aliud rependere nunc va-
 leo, quàm ut Benignitatis Tuæ in me haud vulgaris monumen-
 ta gratâ ubivis mente post funera Tua etiam deprædicem, eaq;
 feræ posteritati commendem. Præterea Vobis etiam, MAGNI-
 FICE DOMINE RECTOR, VIRI EXCELLENTISSIMI,
 PATRONI æviternum devenerandi, ex triplici Lege memet-
 obstrictum sentio, tum quod me subsidio literariô beâstis, tum
 studia mea insigni & accuratâ Vestrâ Doctrinâ hucusq; subleva-
 stis, nec in præsentiarum eadem sublevare cessatis, tum etiam
 me perorantem honorificâ & spectatissimâ præsentia Vestrâ con-
 decorastis. Quorum maximorum Beneficiorum memoriam,
 dum præter id nunc nihil præstare qveo, colam pietate sempi-
 ternâ. Et cum plura habeam, quæ Vobis debeam, quàm Patri
 filius, Nutritio alumnus, Patrono beneficiarius, ubicunque fue-
 ro, gratô animô Merita in me Vestra profitebor, quorum me-
 moriam & prædicationem nulla animo dies eximet.

DIXI.



DE
 DEBILITATE
 RATIONIS,
 Illius viribus, & usu in Sacris;
 ORATIO
 DN. JOHANNES
 SPERLETTE,
 Philosophiæ Moralis ac Civilis P. P.
 Academiæ Fridericianæ
 PRO-RECTORE MAGNIFICO,

Cum ejusdem fasces deponeret;
 habita.

D. 12. Jul. A. 1705.

Halz, Stanno Joh. Andreæ Salfeldii, Typogr. Academ.



364658